

si hanc pastoralis speculae validissimam turrim crebra Pelagiani arietis illusione pulsavissent; ita illi considerantes, Sanctissimum Virum sapientissimam Pelagianorum versutias deprehendisse, & machinas omnes, quibus Gratia Divina virtutem effringere, & conterere, moliebantur, copiose in multis voluminum disputationibus destruxisse, & funditus evertisse; illius doctrina, & argumentis adversus hujusmodi pestem semper usi sunt: (1) Adeo certe, ut S. Bonifacius, Prædecessor meus, cum esset doctissimus; adversus libros tamen Pelagianorum B. Augustini Episcopi responsa semper poposcerit. Quos si ego, in definiendis his questionibus, imitarer, id & rationi congruum, & Deo acceptum fore, ratus sum: quippe, dum potestatis auctoritate, mihi cum illis communi, cœlitus a Deo concessa utor, & eisdem cum illis veltigiis insisto, & ex eodem fonte, jure hæreditario, defsecatissimam, & saluberrimam Evangelicam, Apostolicamque doctrinam intelligentiam hauriri volo, & eam, quam ab illis hac in parte accipi, hæreditatem Posteris meis relinquo, justissimam Deo facti mei reddam rationem.

Quibus omnibus accedit, ita S. Augustinum omnes difficultates, quæ vel a Pelagianis, & eo-

rum sectatoribus tunc movebantur, vel potius moveri possent, penetrasse, & explicuisse, & ita illorum omnia sophismata dissolvisse, ut nihil, hac nostra tempestate, de gratia Dei in controversiam vertatur, quod a S. Augustino non fuerit olim olim copiose pertractatum. Vanum est enim, quod a nonnullis dicitur putari, præsentem questionem esse recentem a Theologis Scholasticis excogitatas; cum nihil, contra Divinam Gratia necessitatem, & virtutem, a recentioribus quibusdam nunc asseratur, quod a Pelagianis, & Semi-pelagianis olim assertum non fuerit: nihil etiam adversus illos pro eisdem Divinæ gratiæ virtute, atque efficacia, & necessitate dici oporteat, quod S. Augustinus ante mille fere, & ducentos annos non docuerit.

Etenim celebrem illam distinctionem, qua veteres Theologi gratiam partiti sunt in sufficientem, & adjuvantem, seu efficacem, ex doctrina S. Augustini desumptam fuisse, apparet ex lib. de corrept. & grat. c. 12. ubi expressè dicit, adjutoria Divina ita distinguenda esse, ut aliud sit adjutorium, sine quo aliquid non fit; & aliud, quo aliquid fit. Unde, inquit, *Primo homini &c.*

X.

## SEXTUM SCRIPTUM,

*A Summo Pontifice CLEMENTE VIII. Congregationi de Auxiliis exhibitum, in quo præcipua Sancti Augustini de Gratia Christi dogmata ipsius Augustini verbis exponuntur.*

Adsit Spiritus Sancti gratia.

I.

*Secundum Sanctum Augustinum datur duplex adjutorium Gratiæ Divinæ. (2)*

S. AUGUSTINUS.

**I**psa adjutoria distinguenda sunt: aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit, & aliud adjutorium, quo aliquid fit. *D. Augusti. de corr. & grat. cap. 12.*

Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat reclusus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse bonum ipsum non deserre, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero Sanctis, in Regnum Dei per gratiam Dei Prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur. Non solum, ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam, ut per hoc donum nonnulli perseverantes, &c. Fortissimo quippe Adamo dimisit, atque permisit facere, quod vellet, infirmis servavit, ut, ipso donante, invictissime, quod bonum est, vellet, & hoc deserre invictissime nollent. *Ibid.*

Tale erat adjutorium, quod primus Parens desereret, cum vellet, & in quo permaneret, si vellet; non quo fieret, ut vellet. Hæc prima est gratia, quæ data est primo Adam; sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim, qua fit, ut habeat homo justitiam, si velit. se-

cunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem, contraria concupiscentem, voluntate Spiritus vincat. *In eodem libro cap. 11.*

Ipsi autem (reprobi) vocati dici possunt, non autem electi, quia non secundum propositum vocati. *In eodem libro cap. 13.*

Vocat enim Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici Filii sui; non ea vocatione, qua vocati sunt, qui noluerunt ad nuptias venire, (illa enim vocatione & Judæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est, & Gentes, quibus crucifixus stultitia est) sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinguit Apostolus, &c. Sic enim ait, *Ipsis autem vocatis*, ut alios ostenderet non vocatos; sciens, esse quandam certam vocationem eorum, qui secundum propositum vocati sunt, quos præcivit, &c. Dixit ergo, *sed ex vocante*, non quacunque vocatione, sed qua vocatione fit credens. *De prædest. Sancti. cap. 16. similiter cap. 17.*

II.

*Duplex gratia, operans, & cooperans.*

S. AUGUSTINUS.

**E**T quis istam, etsi parvam, dare cœperat charitatem, nisi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui

(1) S. Prosper cont. Collat. c. 14. (2) Ad Caput 8. lib. 1. Hist. de Auxiliis.

qui volentibus cooperatur efficiens. Propter quod Apostolus: *Certus sum, quoniam, qui operatur in vobis opus bonum, perficit usque in finem Christi Jesu.* Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valeamus. *De grat. & lib. arb. cap. 16.*

III.

*Gratia Dei est, quod quis habeat suos ad bonum.*

S. AUGUSTINUS.

**S**uscipiens nubes ab extremo terre. Quas nubes? Prædicatores verbi veritatis suæ; de quibus nubibus alio loco irascens vineæ suæ dicit: *Mandabo nubibus meis, ne pluant super illam imbrem, &c.* De ipsis autem nubibus quid operatur? *Fulgura in pluviam fecit.* Minas ad misericordiam flexit, de terroribus irrigavit. Quomodo de terroribus irrigavit? Quando tibi minatur Deus per Prophetam, & per Apostolum, & times; nonne coruscatio terruit te? Sed cum penitendo corripis, & agnoscis, hoc misericordia fieri, in pluviam veritatis fulguris terror. *In Psal. 134. in expositione mystica.*

Nimis enim occulta Dei gratia est, quo hominum mentes quodammodo reviviscunt, ut possint a quibuslibet ejus Ministris præcepta sanitatis audire, &c. *In Psal. 87.*

Propterea, inquit, dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo, ut ostenderet, eam ipsam fidem, qua credit, & ex morte sui cordis anima reviviscit, dari nobis a Deo. Quamlibet ergo existant excellentes verbi Prædicatores, & veritatis, etiam per miracula sua fortes, tanquam magni medici, agant cum hominibus, si mortui sunt, & gratia sua non revixerint; *Nonquid mortuis facies mirabilia, an medici exsuscitabunt; & si quos exsuscitabunt, capitebuntur vobis? &c. Ibid.*

IV.

*Secundum S. Augustinum datur gratia efficax, immo efficacissima, nec tamen per eam leditur libertas humani arbitrii.*

S. AUGUSTINUS.

**R**eluctanti enim prius aditus Divinæ vocationis, ipsa Dei gratia, procuratur, ac deinde in illo, jam non reluctante, spiritus Veritatis accenditur. Verumtamen que quisque agit secundum Deum, misericordia ejus prævenit eum. *L. 4. ad Bonif. cap. 6.*

Oramus non solum pro volentibus; verum etiam pro repugnantibus, & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus consentientes, & ex oppugnantibus amantes? A quo? nisi ab illo, de quo scriptum est: *Præparatur voluntas a Domino.* *In eodem lib. capit. 9.*

Sed nos eam gratiam volumus, iste aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur, & speratur; nec solum revelatur sapientia, verum etiam, & amatur; nec suadet etiam, quod bonum est, verum & persuadetur, &c. Quorum auserit Tom. II.

(1) Rom. 8. 26. (2) Matth. 10. 20

tem fit fides, & quibus perfundeatur, ut ad Deum veniant, satis ipse demonstravit, ubi ait: *NEMO VENIT AD ME, NISI PATER, QUI MISIT ME, TRAXERIT EUM.* *Lib. de gratia Christi, capit. 10.*

Hæc autem gratia, qua virtus in infirmitate perficitur, prædestinatos, & secundum propositum vocatos ad summam perfectionem, glorificationemque perducit. Quæ gratia agit, ut non solum facienda noverimus, verum etiam ut cogita faciamus; nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus. *De gratia Christi, cap. 12.*

Ut autem de cælo vocaretur (Saulus) & tam magna, & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola, quia merita ejus erant magna, sed mala, &c. *de gratia, & libero arbitrio, capit. 5.*

Si dixerimus, meritum præcedere orationis, ut donum gratiæ consequatur, impetrando quidem, oratio, quidquid impetrat, evidenter donum Dei esse ostendit, ne homo existimet, a se ipso sibi esse, quod, si in potestate haberetur, non utique posceretur, &c. *Quid enim oramus*, ait Doctor gentium, *sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

(1) Quid est autem interpellare nos facit? Indigentis enim certissimum indicium est, interpellare gemitibus. Nullus autem rei esse indigentem, fas est credere, Spiritum Sanctum. Sed ita dictum est, interpellat, quia interpellare nos facit, nobisque interpellandi, & gemendi inspirat affectum, sicut illud in Evangelio: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* (2) Neque enim & hoc ita fit de nobis, tanquam nihil facientibus nobis. Adjutorium igitur Spiritus Sancti sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod, ut faciamus, facit. *Epist. 105. nunc 194. numer. 16.*

Quod est ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cum omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat, nisi gratia, & cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet, quam munera sua? *Ibid. num. 19.*

Sed neque ab illo, quod originaliter trahitur, neque ab his, quæ unquamque in vita propria, vel non intelligendo, vel nolendo intelligere, mala congregat, vel etiam instructus ex lege, additamento prævaricationis exaggerat, quicquam liberatur, & justificatur, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non solum remissione peccatorum, sed prius ipsius inspiratione fidei, & timoris Dei, impartito salubriter orationis affectu, & effectu, donec fater omnes languores nostros, & redimat de corruptione vitam nostram, & coronet nos in miseratione, & misericordia. *Ibidem num. 30.*

Quomodo dicuntur, negare liberum voluntatis arbitrium, qui consentunt, omnem hominem, quisquis suo corde credit in Deum, nonnulli sua libera credere voluntate; cum potius illi oppugnant arbitrium liberum, qui oppugnant Dei gratiam, qua vere ad bona eligenda, & agenda fit liberum? *Epist. 107. num. 217. num. 23.*

Hæc enim voluntas libera tanto erit liberior, quanto sanior; tanto autem sanior, quanto Divinæ misericordiæ, gratiæque subiectior. *Epist. 89. nunc 157. num. 8.*

Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur: sed ideo juvatur, quia non tollitur. *Ibidem num. 10.*

Ff 2 Deus

Deus est enim, qui operatur in nobis & velle & operari, pro bona voluntate. Nos ergo volumus; sed Deus operatur in nobis & velle. Nos ergo operamur; sed Deus in nobis operatur & operari, pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere, & dicere; hoc est pium, hoc verum: ut sit humilis, & submissa confessio, & detur totum Deo. De *Dono persever.* cap. 13.

V.

Hac gratia habet suam efficaciam ab Omnipotentia Dei, & a dominio, quod Summa Divina Majestas habet in voluntatis hominum, sicut in ceteris omnia, quae sub caelo sunt, secundum S. Augustinum.

## S. AUGUSTINUS.

Scriptura Divina, si diligenter inspicatur, ostendit, non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & a se factas bonas, in actus bonos, & in aeternam dirigit vitam, verum etiam illas, quae conservant saeculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas, quo voluerit, quomodo voluerit, faciat inclinari vel ad beneficia quibusdam praestanda, vel ad poenas quibusdam ingerendas, sicut ipse iudicat, occultissimo quidem iudicio, sed sine ulla dubitatione iustissimo. *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 20.*

... ; quamvis non negetur, Deum posse, quem velit, etiam nullo hominum corripiente, corrigere, & ad dolorem salubrem poenitentiae, occultissima, & potentissima medicina suae potestate, perducere: Et sicut non est ab oratione cessandum pro eis, quos corripimus volumus, quamvis etiam nullo hominum orante pro Petro, Dominus respexit eum, & fecit, eum suum peccatum flere; ita non est negligenda correptionem, quamvis Deus, quos voluerit, etiam non correptos, facit esse correctos. De *corrupt. & grat. cap. 5.*

Cum autem homines per correptionem in viam iustitiae seu veniant, seu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille, qui, quolibet plantante, vel rigante, & quolibet in agris, atque arbutulis operante, dat incrementum, Deus, cui volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium? Sic enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis est potestate, nec superet potestatem. De his enim, qui faciunt, quae non vult, facit ipse, quae vult. *Lib. de corrupt. & grat. cap. 14.*

Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in caelo, & in terra, omnia, quaecumque voluit, fecit, & qui etiam illa, quae futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse, quod vult; quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit, &c. *Ibidem.*

Qui tamen hoc non facit, nisi per ipsum hominum voluntates; sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandum omnipotentissimam potestatem, &c. *Ibidem.*

Quis autem non videat, multo majus esse, indignationem a contrario in lenitatem convertere, atque transferre, quam cor, neutra affectione preoccupatum, sed inter utramque medium, in aliquod declinare? Legant igitur, & intelligant; intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina sonante forinsecus, sed interna, atque occulta; mirabili, atque ineffabili potestate, operari Deum in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. De *grat. Christi, cap. 13.*

Si ergo Dominus Omnipotens, cum voluerit Reges in terra constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas; quis alius facit, ut salubris sit correptionem, & fiat in correpti corde correptionem, ut caelesti constituantur in Regno? De *corrupt. & grat. cap. 14.*

Si fides est liberi tantummodo arbitrii, nec datur a Deo; propter quid ergo pro eis, qui nolunt credere, oramus, ut credant? Quod profus faceremus inaniter, nisi certissime crederemus, etiam perverfas, & fidei contrarias voluntates Omnipotentem Deum ad credendum posse convertere. Liberum quidem hominis arbitrium pulsatur, ubi dicitur: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra; sed nisi postea istam Deum duritiam cordis auferre, non diceret per Prophetam: Auferam ab eis cor lapideum, & dabo eis COR CARNEUM.* *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 14.*

Si ad liberum arbitrium hominis, quod non secundum Dei gratiam, sed contra eam defendis, pertinere dicis, ut perseveret in bono quisque, vel non perseveret; non Deo donante, si perseveret, sed humana voluntate faciente; quid moliturus es contra verba dicentis: *Rogavi pro te, ne deficiat fides tua; An audebis dicere, etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eum defecere voluisset, hoc est, si eam perseverare usque in finem noluisset; quasi aliud Petrus illo modo vellet, quam pro illo Christus rogasset, ut vellet?* *Lib. de corrupt. & grat. cap. 8.*

Tu in te ipso non facis quidvis; Deus autem noster in caelo, & in terra omnia, quaecumque voluit, fecit. Ipse tibi dat gratiam, ut in te ipso facias, quod vis. *In Psal. 134.*

Intelligite Deum, quomodo omnia, quaecumque voluit, fecit in caelo, & in terra, ipse & vobis facit, quod vultis, ipso adjuvante voluntatem vestram, implebitis. Sed, dum non potestis, consistimini; cum poteritis, gratias agite, &c. *Ibidem.*

Ergo & in Ecclesia sua, & in Praedicatoribus suis, & in plebibus suis, tanquam in caelo, & in terra, omnia, quaecumque voluit, fecit. Parum est in eis; in mari & in omnibus abyssis, omnia, quaecumque voluit, fecit: mare sunt omnes infideles, omnes nondum credentes; & in eis omnia, quaecumque voluit, fecit. Et qui sunt abyssi? Latentia corda mortalium, profundae cogitationes hominum, &c. Latet cor bonum, & in corde malo; sed haec nuda sunt Deo; quem nihil latet. Confolatur cor bonum, torquet cor malum: Omnia igitur, quaecumque voluit, fecit in caelo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. *In Psal. 133. in Exp. myst.*

Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus, quidquid agimus; quod autem attinet ad pietatis viam, & verum Dei cultum, non sumus idonei cogitare aliquid, tanquam ex nobismet ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est: non enim est in potestate nostra cor nostrum, & nostrae cogitationes. Unde idem, qui hoc ait, item dicit Ambrosius: *Quis autem tam beatus, qui in corde suo semper ascendat? Sed hoc sine Divino auxilio quomodo fieri potest? Nullo profecto modo.* Denique inquit: *Supra eadem Scriptura dicit: Beatus vir, cujus est auxilium ab ipso te, Domine, ascensus in corde ejus.* Hoc utique ut diceret, non solum in litteris sacris legerat; sed, sicut de illo viro sine dubitatione credendum est, etiam in corde sentiebat Ambrosius. Quod ergo in Sacramentis fidelium dicitur, *ut sursum corda habeamus ad Dominum*, munus est Domini: de quo mu-

munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere, a sacerdote post hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonentur, & dignum, & iustum esse, respondent. Cum enim non sit in nostra potestate cor nostrum, sed Divino sublevetur auxilio, ut ascendat, & quae sursum sunt sapiat, ubi Christus est, in dextera Dei sedens, non quae super terram, cui de hac tanta re agenda sunt gratiae, nisi hoc facienti Domino Deo nostro, qui nos per tale beneficium liberando, de profundo hujus mundi elegit, & praedestinavit ante constitutionem mundi? *Lib. de dono persever. c. 13.*

V I.

Per hanc gratiam, secundum Augustinum, agit Deus omnipotens in cordibus hominum motum voluntatis eorum, faciendo ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes.

## S. AUGUSTINUS.

Quis autem non videat multo majus esse indignationem a contrario in lenitatem convertere, atque transferre, quam cor, neutra affectione preoccupatum, sed inter utramque medium, in aliquod declinare? Legant igitur, & intelligant; intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina sonante forinsecus, sed interna, atque occulta; mirabili, atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. De *grat. Christi, cap. 14. similiter c. 25.*

Ipsam denique poenitentiam, quam procul dubio voluntas agit, Domini misericordia, & adjutorio fieri, ut agatur, in 10. ejusdem operis libro beatus dicit Ambrosius, ita loquens: (1) *Bona lacrymae, quae culpam lavant: denique, quos Jesus respicit, plorant delictum. Negavit primo Petrus, & non fleuit, quia non respexerat Dominus. Negavit secundo Petrus, & non fleuit, quia adhuc non respexerat Dominus. Negavit & tertio; respexit Jesus, & amarissime fleuit.* Legant isti Evangelium, & videant, Dominum Jesum tunc intus fuisse, cum a Sacerdote Principibus audiretur, Apostolum vero Petrum foris, & deorsum in aertium cum fervo ad focum nunc sedentem, nunc stantem, sicut veracissima, & concordissima Evangelitarum narratio monstratur. Unde non potest dici, quod corporalibus oculis eum Dominus, visibiliter eum admoendo, respexerit: & ideo quod ibi scriptum est: *Respexit eum Dominus, intus actum est, in mente actum est: misericordia Domini latenter subvenit, cor tergit, memoriam revocavit, interiori gratia sua visitavit Petrum, interioris hominis usque ad exteriores lacrymas movit, & produxit affectum.* Ecce, quemadmodum Deus, adjuvando, adest voluntatibus, & actionibus nostris. Ecce quemadmodum & velle, & operari operatur in nobis. De *gratia Christi, cap. 45.*

Si ergo ita prepararet, atque ita operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodo legem suam, atque doctrinam libero ejus adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alta, atque secreta sic eus ageret sensum, ut eidem legi, atque doctrinae accommodaret assensum; procul dubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere, ac praedicare, sufficeret, nec opus esset orare, ut Deus ad fidem suam infidelium corda converteret, & conversis proficientem perseverantiam ejusdem gratiae suae largitate donaret. *Epist. 107. nunc 217. num. 5.*

(1) Ambrosius in Lucam.

Inaniter igitur, & perfunctorie potius, quam veraciter pro eis, ut doctrinae, cui adversantur, credendo consentiant, Deo fundimus preces, si ad eum non pertinet gratiam, convertere ad fidem suam ipsi fidei contrarias hominum voluntates. Inaniter etiam, & perfunctorie potius, quam veraciter, magnas cum exultatione agimus Deo gratias, quando aliqui eorum credunt, si hoc in eis ipse non facit. Non fallamus homines; nam Deum fallere non valemus. Profus non oramus Deum, sed orare nos fingimus, si nos ipsos, non illum, credimus facere, quod oramus. Profus non Deo gratias agimus, sed nos agere fingimus, si unde illi gratias agimus, illum facere, non putamus, &c. *Ibid. num. 6. & 7.*

Non enim est homo bonus, si nolit, sed gratia Dei etiam ad hoc adjuvat, ut velit: quoniam non inaniter scriptum est: *Deus est enim, qui operatur in nobis & velle, & operari, pro bona voluntate.* Et, *Preparatur voluntas a Domino.* *Lib. 1. ad Bonif. c. 18.*

Jam sequentia commemorare, quid opus est, ubi Deum complevisse, quod illa rogaverat, Divina Scriptura testatur, operando in corde Regis? Quid aliud, quam voluntatem, quae iustitiae, & factum est, &c. Qui cor Regis, ante quam mulieris potentis sermonem audisset, occultissima, & efficacissima potestate convertit, & transitit ab indignatione ad lenitatem, hoc est, de voluntate laedendi ad voluntatem favendi? *Lib. 1. ad Bonif. c. 2.*

Quibus meritis voluntatis Deus illum (Saulum) ab his malis ad bona, mirabili, & repentina vocatione, convertit? &c. *Lib. 1. ad Bonif. cap. 19.*

Quam multi inimici Christi quotidie subito, Dei occulta gratia, trahuntur ad Christum? &c. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit, intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant. *Ibidem.*

Oramus non solum pro nolentibus, verum etiam pro repugnantibus, & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo? nisi ab illo, de quo scriptum est: *Preparatur voluntas a Deo.* *Lib. 4. ad Bonif. c. 9.*

Dicit Dominus ad Jesum Nave, *Non poterunt filii Israel subsistere a facie inimicorum suorum.* Quid est, non poterunt subsistere? Quare non subsistebant per liberum arbitrium, sed per timorem turbata voluntate fugiebant, nisi quia Deus dominatur & voluntatibus hominum, & quos vult in formidinem convertit iratus? Nuaquid non hostes Israelitarum adversus populum Dei, quem ducebat Jesus Nave, sua voluntate pugnarunt? Et tamen dicit Scriptura: *Quia per Dominum factum est confortari cor eorum, ut obviam irent ad Israel ad bellum, ut exterminarentur.* De *grat. & lib. arb. c. 20.*

Agit omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit, qui omnino injuste aliquid velle non novit, *Ibidem c. 21.*

Quomodo virtus Dei alios adjuvat in bello, dando eis fiduciam? alios immisso timore, vertit in fugam? nisi quia ille, qui in caelo, & in terra, omnia, quaecumque voluit fecit, etiam in cordibus hominum operatur. &c. *Ibidem.*

Non enim hoc non ex animo, aut non ex bona voluntate, fecerunt corde pacifico; & tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum, quod



poteritis, nisi ille in tonueris, nec permanens poteritis, nisi eius fagina non desit vobis; ipsa enim fagina descendit super montes Sion. In Ps. 132. n. 10.

X.

Effectus hujus gratia efficacis, secundum S. Augustinum, est certus, & infallibilis.

## S. AUGUSTINUS.

Non solum enim dixit: *Sino me nihil potestis facere*; verum etiam dixit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis*. & *fructum afferatis & fructus vestri maneat*. Quibus verbis, eis non solum iustitiam, verum etiam in illa perseverantiam se dedisse, monstravit. Christo enim sic eos ponente, ut eant, & fructum afferant, & fructus eorum maneat; quis audeat dicere: *Fortitan non manebit*? Sine potentia enim sunt dona, & vocatio Dei, sed vocatio eorum, qui secundum propositum vocati sunt. Pro eis ergo interpellante Christo, ne deficiat fides eorum; sine dubio non deficiet usque in finem, ac per hoc perseverabit usque in finem. neque enim, nisi manentem, vita hujus finis inveniet. *De corrept. & grat. c. 12.*

Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt; ideo sic volunt, quia Deus operatur, ut velint: nam si in tanta infirmitate vite hujus, in qua tamen infirmitate, propter elationem reprimendam, perfici virtutem, oportebat, ipsis relinquere voluntas sua, ut in adiutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent, si velint, nec Deus operaretur in eis, ut vellet; inter tot, & tantas tentationes, infirmitate sua, voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec velint, aut non ita vellet infirmitate nec possent. Subvenit enim igitur infirmitati voluntatis humanae, ut, Divina gratia, iudicabilius, & insuperabiliter ageretur, & ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. *Ibid.*

Infirmis servavit Deus, ut, ipso donante, invictissime, quod bonum est, velent, & hoc defeceris, invictissime nolent. *Ibid.*

Quando Deus docet, non per legis litteram, sed per Spiritus gratiam, ita docet, ut, quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam videndo appetat, volendoque perficiat. Et isto Divino docendi modo, etiam ipsa voluntas, & ipsa operatio, non solum volendi, & operandi naturalis possibilitas adjuvatur. Si enim solum posse nostrum hac gratia juvaretur, ita diceret Dominus: *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*. Venire posse in natura posuit Pelagius, vel etiam, ut modo dicere cepit, in gratia, qualem libet illam sentiat, quia ipsa, ut dicit, possibilitas adjuvatur; venire autem jam in voluntate, & opere est. Non est autem consequens, ut, qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit, atque fecerit: sed omnis, qui didicit a Patre, non solum potest venire, sed etiam venit: ubi jam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est. *De grat. Christi, cap. 14.*

*Ego dixi in abundantia mea: non movebor in aeternum*; putaverat enim, suum fuisse bonum, quod ei sic abundabat, ut non moveretur; sed

ut ostenderetur illi, cuius esset illud bonum, de quo, tanquam suo, ceperat gloriari, paululum gratia Dei deferente, admonitus dicit: *Domine, in voluntate tua praeservisti decori meo virtutem, averisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus*. Ideo necessarium est homini, ut gratia Dei non solum iustificetur impius, id est, ex impio fiat iustus, cum redduntur ei bona pro malis, sed etiam, cum fuerit iam iustificatus ex fide, ambulet cum illa gratia, & incumbat super ipsam, nec cadat. Propter hoc scriptum est in Cantico Canticorum de ipsa Ecclesia: *Quae est ista, quae ascendit dealbata, incumbens super fratruum suum?* Dealbata est enim, quae per seipsam alba esse non potest. Et a quo dealbata est, &c. Quando ergo dealbata est, nihil boni merebatur: Jam vero alba facta, bene ambulat; sed si super eam, a quo dealbata est perseveranter incumbat, &c. *De grat. & lib. arb. c. 6.*

Quomodo enim potest amitti, per quod fit, ut non amittatur, etiam quod potuit amitti? &c. *De dono persever. cap. 6. n. 10.*

Imperavit autem Deus, ut ei Sancti ejus dicant, orantes: *Ne inferas nos in tentationem*. Quisquis igitur exauditur, hoc poscens, non infertur in contumacia tentationem, qua possit, vel dignus sit, perseverantiam sanctitatis amittere. At enim voluntate sua quisque deserit Deum, ut merito deleatur a Deo. Quis hoc negaverit? Sed ideo petimus, ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat. Et si exaudimur; utique non fit, quia Deus non permitit, ut fiat. *Ibid.*

Ut enim non dicam, quam sit possibile Deo, averfas, & adversas, in fidem suam hominum convertere voluntates, & in eorum cordibus operari, ut nullis adversitatibus cedant, nec ab ipso, aliqua superati tentatione, discedant, &c. *De dono persever. cap. 9. n. 22.*

X I.

*Hec gratia efficacis, secundum S. Augustinum, non inducit factum, nec efficit propterea Deum accipientem personarum, nec tollit predicationem, & correptionem, sed cum libertate humana voluntatis optime consistit.*

## S. AUGUSTINUS.

Nunquid homines Dei, qui hoc scripserunt, immo ipse Spiritus Dei, quo audire per eos ea conscripta sunt, oppugnavit liberum hominis arbitrium? Absit. Sed Omnipotentia in omnibus & iudicium iustissimum, & auxilium Dei misericordissimum commendavit. *Lib. 1. ad Bonif. cap. 10.*

Nec sub nomine gratia fatum asserimus, quia nullis hominum meritis gratiam dicimus antecedere, &c. *Lib. 2. ad Bonif. cap. 5.*

Nunquid sub nomine gratia fatum asserit Cyprianus, quamvis dicat, *In nullo gloriantur, quando nostrum nihil sit*? &c. *Lib. 4. ad Bonif. cap. 9.*

Nunquid, quoniam haec dicit vir tantus, S. Ambrosius, & gratiam Dei, sicut filio promissionis congruit, grata pietate commendat; ideo destruit liberum arbitrium? &c. *In eodem libro, cap. 1. n. 30.*

Atque, ut ostenderet, liberum arbitrium, mox addidit: *Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi*. Hoc enim liberum arbitrium hominis exhortatur, & in aliis, quibus dicit: *Rogamus, ne in vacuum gratiam Dei suscipiamus*. Ut quid enim eos rogat, si gratiam fit

susciperent, ut propriam perderent voluntatem? *Libro de gratia, & libero arb. cap. 5.*

Semper est autem voluntas libera, sed non semper est bona: aut enim a iustitia libera est, quando servit peccato; & tunc est mala: aut a peccato libera est, quando servit iustitia; & tunc est bona. Gratia vero Dei semper est bona; & per hanc fit, ut sit homo bonae voluntatis, qui prius fuit voluntatis male, cap. 15.

Satis me disputasse, arbitror, adversus eos, qui gratiam Dei vehementer oppugnant, quae voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam, & cum bona fuerit, adjuvatur, &c. cap. 20.

Quis autem non videat, & venire quemquam, & non venire, arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit; non autem potest, nisi adjutum esse, si venit: & sic adjutum, ut non solum, quid faciendum sit, sciat, sed quid scierit, etiam faciat, *Lib. de grat. Christi, cap. 14.*

Et Spiritus Domini induit Ananiam Principem inter triginta: *Tui sumus, David, & tecum futuri, Fili Jesse*. Nunquid ille posset adversari voluntati Dei, & non potius ejus facere voluntatem; qui in ejus corde operatus est per Spiritum Sanctum, quo indutus est, ut hoc vellet, diceret & faceret. Idem paulo post ait eadem Scriptura: *Omnis hi Viri bellatores, dirigentes aciem, corde pacifico venerunt in Hebron, & constituerunt David super omnem Israel*. Sua voluntate utique constituerunt Regem David, quis non videat? quis hoc neget? Non enim non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt corde pacifico; & tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum, quod voluerit, operatur, &c. *De corrept. & grat. cap. 14.*

Quando rogavit ergo, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Ecce quemadmodum, secundum gratiam Dei, non contra eam, libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem; & ut perseveret, delectabilem perpetuam, & insuperabilem fortitudinem. *De corrept. & grat. cap. 8.*

Neque velle possumus, nisi vocemur; & cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus noster, nisi Deus & vires currentibus praebet, & perducat, quo vocat. *De praedest. Sancti, cap. 3.*

Quod enim putant, sibi auferri liberum arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem, sine adiutorio Dei, hominem habere, confenserint, non intelligunt, non se firmare humanum arbitrium; sed impellere, ut per inaniam feratur, non in Domino tanquam in stabili petra, colloctur. *Epist. 105. nunc 194. n. 3.*

Sic & Dei gratia non negatur; sed, sine ullis humanis precedentibus meritis, vera monstratur, & liberum ita defenditur, ut humilitate solidetur, non elatione praecipitur arbitrium: & qui gloriatur, non in homine, vel quolibet alio, vel se ipso, sed in Domino gloriatur. *Epist. 107. nunc 217. n. 8.*

Proinde arbitrium voluntatis humanae nequam destruiamus, quando Dei gratiam, quae ipsum adjuvatur arbitrium, non superbia negamus ingrata, sed grata potius pietate predicamus. Nostrum enim est velle, sed voluntas ipsa etiam movetur, ut surgat, & sanatur, ut valeat, & dilatatur, ut capiat, & impletur, ut habeat, &c. *De dono viduitatis, cap. 17.*

Nec ideo (Beati) liberum arbitrium non habet

Serry Tom. II.

bebant, quia peccata eos delectare non poterant; magis quippe erit liberum, a delectatione peccandi usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem, liberatum. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est reclus, potuit non peccare, sed potuit & peccare: hoc autem novissimum eo potentius erit, quod peccare non poterit. Verum hoc quoque, Dei munere, non sua possibilitate naturae; &c. Servandi autem erant gradus Divini muneris, ut primum daretur liberum arbitrium, quo peccare posset homo; novissimum, quo peccare non posset: atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum premium pertineret. Sed quia peccavit ista natura, cum peccare potuit, largiore gratia liberatur, ut ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non possit. *Lib. 22. de civitate Dei, cap. 30.*

X I I.

*Hec gratia efficacis cur uni detur, & non alteri, occultioris iudicii Dei est.*

## S. AUGUSTINUS.

Quare autem velit illos convertere, illos praeversione punire, quantum & in beneficio retribuendo nemo iuste reprehendat misericordiam, & in vindicta excoecanda nemo iuste reprehendat veritatem: sicut in illis Evangelicis operariis, aliis placitam mercedem reddentem, aliis non placitam largientem, nullus iuste culpaverit; consilium tamen occultioris iustitiae penes ipsum est. *Lib. 2. de peccat. merit. cap. 18.*

Sed cur, inquit, gratia Dei non secundum merita hominum datur? Respondeo, quoniam Deus misericors est. Cur ergo, inquit, non omnibus? Et hic respondeo, quoniam Deus Iudex iustus est; ac per hoc & gratis ab eo datur gratia, & iusto ejus in aliis iudicio demonstratur, quid eis, quibus datur, conferat gratia; &c. *De dono persever. cap. 8.*

Ex duobus itaque parvulis, originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; & ex duobus aetate jam grandibus impis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur; inscrutabilia sunt iudicia Dei. Ex duobus autem piis cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non detur, inscrutabilia sunt iudicia Dei. *De dono persever. cap. 8.*

Sed quare illos potius, quam illos? Iterum, atque iterum dicimus, nec nos piget: *O homo, tu qui es, qui respondeas Deo? Inscrutabilia sunt iudicia ejus, & investigabiles viae ejus; & hoc ad iudicium, Altiora te ne quaeris; & fortiora te ne scrutatus fueris*. *Lib. de dono persever. cap. 12.*

Etiam quomodo illa dispenset, faciens alios secundum meritum vasa irae, alios secundum gratiam vasa misericordiae; *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* &c. *Lib. 1. ad Bonif. cap. 20.*

X I I I.

*Hec Dei gratia necessaria est ad singulos actus.*

## S. AUGUSTINUS.

Quod gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, quod fides vera, & Catholica semper tenet Ecclesia, pullos cum magis, a morte primi hominis ad vitam secundi hominis, non solum ad peccata delenda, verum

G g

etiam

etiam ad non peccandum, iusteque vivendum, eos, qui jam uti possunt voluntatis arbitrio, sic adjuvando, ut nisi adjuvet, nihil pietatis, atque iustitiae, sive in opere, sive etiam in ipsa voluntate, habere possimus. *Epist. 106. nunc 186. numer. 3.*

Præter illa enim, quæ, quomodo potuit, ausus est (Pelagius) qualicunque ratione defendere, obiecta quædam sunt, quæ nisi, remota omni tergiversatione, anathematizasset, ipse anathematizatus exisset. Obiectum est enim, eum dicere, &c. Et gratiam Dei, atque adiutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege, atque doctrina. *Ibid. n. 32.*

Fateatur, gratiam Dei, & adiutorium etiam ad singulos actus dari, eamque non dari secundum merita nostra, ut vera sit gratia, id est, gratis data per ejus misericordiam, qui dixit: *Miserere, cui miseratus es, & misericordiam prestabo, cui miseratus fuero. Ibid. n. 33.*

Scimus, gratiam Dei nec parvulis, nec majoribus, secundum merita nostra, dari. Scimus, majoribus ad singulos actus dari. Scimus, non omnibus hominibus dari; & quibus datur, non solum, secundum merita operum, non dari, sed nec secundum merita voluntatis eorum, quibus datur; quod maxime apparet in parvulis. Scimus, eis, quibus datur, misericordia Dei gratuita, dari. Scimus, eis, quibus non datur, iudicio Dei, non dari. *Epist. 107. nunc 217. num. 16.*

## X I V.

*Hæc gratia nullis meritis nostris redditur, sed gratuita bonitate donatur; nullum enim nostrum bonum meritum illam antecedit.*

## S. AUGUSTINUS.

Quod autem personarum acceptorem Deum se credere, existimant, si credant, quod sine ullis præcedentibus meritis, cuius vult, miseretur, & quos dignatur, vocat, & quem vult, religiosum facit; parum attendunt, quod debita reddatur poena damnato, indebita gratia liberato; ut nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste gloriatur; atque ibi potius acceptionem nullam fieri personarum, ubi una, eademque massa damnationis, & offensionis involvit, ut liberatus de non liberato dicat, quod etiam sibi supplicium conveniret, nisi gratia subveniret. Si autem gratia, utique nullis meritis reddita, sed gratuita bonitate, donata. *Epist. 105. nunc 194. n. 4.*

Nolunt autem, ut sit ipsi (Deo gloria) in iustificandis impiis gratuita gratia, qui ejus ignorantibus justitiam, suam volunt constituisse; vel jam conclamantium religiosorum, & piorum vocibus pressi, ita se fateantur, ad habendam, seu faciendam justitiam, divinitus adjuvari, ut sui præcedat aliquid meriti, quasi priores volentes dare, ut retribuat eis ab illo, de quo dictum est; *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* & suo putantes præire merito illum, de quo audiunt, aut potius audire nolunt: *Quoniam ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia, &c.* Et ideo percipiendæ hujus gratiæ, merita nulla præcedunt, quoniam meritis impii non gratia, sed poena debetur; nec illa est gratia, si non daretur gratis, sed debita redderetur. *Ibid. n. 6. & 7.*

Querimus autem meritum misericordiæ, nec invenimus, quia nullum est; ne gratia evacuetur, si non gratis donatur, sed meritis redditur. Si enim dixerimus, fidem præcessisse, in qua esset meritum gratiæ; quid meriti habebat homo ante fidem, ut acciperet fidem? *Quid enim habet, quod*

*non accepit, &c.* Si dixerimus, meritum præcedere orationis, ut donum gratiæ consequatur, impetrando quidem oratio quiddam impetrat, evidentem donum Dei esse ostendit, ne homo existimet, a seipso sibi esse, quod si in potestate haberetur, non utique posceretur: verumtamen, ne saltem orationis putarentur præcedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, sed jam nec gratia esset, quia debita redderetur, etiam ipsa oratio inter gratiæ munera reperitur. *Ibid. numer. 14. 15. & 16.*

Quod est ergo meritum hominis ante gratiam, quo percipiat gratiam, cum omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat, nisi gratia; & cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet, quam munera sua? *Ibid. n. 19.*

Calumniari, me dicere, nihil studii expectari ab humana voluntate debere, contra illud Evangelii, quo ait Dominus: *Petite & accipietis, &c.* Ibi enim vos, ut video, ponere jam cœpistis merita, gratiam præcedentia, quod est petere, querere, pulsare, ut his meritis debita illa reddatur, ac sic gratia inaniter nuncupetur, tanquam gratia nulla præcesserit, & cor teigerit, ut beatificum bonum peteretur a Deo, ut quaereretur Deus, ut pulsaretur ad Deum; frustraque sit scriptum, *Misericordia ejus præveniet me*: Frustra etiam nos pro inimicis jubet orare, si non est ejus, averfa, & adversa corda convertere. *Contra Julianum Pelagianum, lib. 4. cap. 8.*

Fortassis ergo ipsi eo modo saltem servant locum gratiæ, ut sine illa, putent, hominem posse habere boni, sed imperfecti cupiditatem; perfecti autem non facilius per illam posse, sed nisi per illam omnino non posse: verum & sic gratiam Dei, dicunt, secundum merita nostra dari, quod in Oriente Pelagius, Ecclesiasticis gestis damnari timendo, damnavit. Si enim, sine Dei gratia, per nos incipit cupiditas boni; ipsum conceptum erit meritum, cui, tanquam ex debito, gratia Dei veniat adiutorium; ac sic gratia Dei non gratis donabitur, sed secundum meritum nostrum dabitur, &c. *Lib. 2. ad Bonif. cap. 8. 10.*

Et ipsum igitur initium fidei nostræ ex quo, nisi ex ipso est? Neque enim, hoc excepto, ex ipso sunt cætera, sed ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Quis autem dicat, eum, qui jam cœpit credere, ab illo, in quem credidit, nihil mereri? Unde fit, ut jam merenti cætera dicantur addi retributione Divina, ac per hoc gratiam secundum merita nostra dari: quod obiectum sibi Pelagius, ne damnaretur ipse, damnavit. *De prædest. Sanct. cap. 2.*

## X V.

*Donum perseverantiæ est singulare quoddam Dei donum, non omnibus commune, per quod fit, ut perseveret in bono quisque usque in finem.*

## S. AUGUSTINUS.

Natura humana, etiam si illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Cum igitur sine Dei gratia salutem non posset custodire, quam accepit; quomodo sine Dei gratia posset reparare, quod perdidit? *Epist. 106. nunc 186.*

Cur non permetteret, ut ab illo (Angelo malo) primus homo, qui reclusus, hoc est bonæ voluntatis creatus fuerat, tentaretur? Quandoquidem sic erat institutus, ut si de adiutorio Dei fieret, bonus homo malum Angelum vinceret; si autem creatorem, atque adiutorem Deum, super-

be sibi placendo, desereret, vinceretur: meritum bonum habens in adjuta divinitus voluntate recta, malum vero in deserente Deo voluntate perversa: quia & ipsam considerere de adiutorio Dei non quidem posset sine adiutorio Dei, nec tamen ideo ab his Divinæ Gratiæ beneficiis, sibi placendo, recedere non habebat in potestate, &c. Bene vivere, sine adiutorio Dei, etiam in paradiso non erat in potestate: erat autem in potestate male vivere, sed beatitudine non permanens, & poena iustissima secutura. *De Civit. Dei lib. 4. cap. 27.*

Bona ista quid inter se differant, diligenter, & vigilantiter intuemus, posse non peccare, & non posse peccare; posse non mori, & non posse mori; bonum posse non deserere, & bonum non posse deserere. Porrit enim non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deserere: nunquid dictum sumus, non potuit peccare, qui tale habebat liberum arbitrium? aut non potuit mori, cui dictum est: *Si peccaveris, morte morieris?* aut non potuit bonum deserere, cum hoc, peccando, deseruit, & ideo mortuus fit? Prima ergo libertas voluntatis erat posse non peccare; novissima erit multo major, non posse peccare: prima immortalitas erat posse non mori; novissima erit multo major, non posse mori: prima erat perseverantiæ potestas bonum posse non deserere; novissima erit felicitas perseverantiæ, bonum non posse deserere. *De corrept. & grat. cap. 11.*

Itemque ipsa adiutoria distinguenda sunt, &c. Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse bonum non deserere, datum est adiutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero Sanctis, in Regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adiutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantiæ ipsa doneatur, non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint: non solum enim dixit: *Sine me nihil potestis facere*; verum etiam dixit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Quibus verbis, eis non solum justitiam, verum etiam in illa perseverantiæ se dedisse, monstravit. Christo enim sic eos ponente, ut eant, & fructum afferant, & fructus eorum maneat; quis audeat dicere: Fortitan non manebit? Sine penitentia enim sunt dona, & vocatio Dei; sed vocatio eorum, qui secundum propositum vocati sunt. *De corrept. & grat. cap. 12.*

Ac per hoc nec de ipsa perseverantiæ boni voluit Deus Sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari, qui eis non solum dat adiutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare, si velint; sed in eis etiam operatur & velle. Ut, quoniam non perseverabunt, nisi & possint, & velint, perseverandi eis possibilitas, & voluntas, Divinæ gratiæ largitate, donetur: tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt; ideo se velint, quia Deus operatur, ut velint. Nam, si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate, propter elationem reprimendam, perfici virtutem, oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adiutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent, si vellet, nec Deus in eis operaretur, ut vellet; inter tot, & tantas tentationes, infirmitate sua, voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non pos-

Serry Tom. II.

sent, quia, deficientes infirmitate, nec vellet, aut non ita vellet infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut, Divina Gratia, indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur: & ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur, &c. Fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere, quod vellet; infirmis servavit, ut, ipso donante, invictissime, quod bonum est, vellet; & hoc deserere, invictissime nolent. *Ibid.*

Jam vero, cum dicunt Sancti: *Er ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo: amen*; quid aliud, quam ut in sanctitate perseverant, precantur? Nam profecto, concessio sibi isto Dei dono, ne inferantur in tentationem, nemo Sanctorum est, qui non teneat usque in finem perseverantiæ sanctitatis; neque enim quisquam in proposito Christianitatis perseverare desinit, nisi in tentationem primitus inferatur. Si ergo concedatur ei, quod orat, ut non inferatur in tentationem; in sanctificatione utique, quam, Deo donante, percipit, Deo donante, persistit. *De dona persever. cap. 6.*

Perseverantiæ usque in finem quoniam non habet quisquam, nisi qui perseveraverit usque in finem; multi eam possunt habere, nullus amittere. *Ibid.*

Quomodo enim potest amitti, per quod fit, ut non amittatur, etiam quod posset amitti? *Ibidem.*

Potens ergo est, & a malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas convertere, ac dirigere in sibi placitum gressum, &c. *Ibidem.*

Post casum autem hominis, non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum, neque, nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo. Hanc gratiam posuit in illo, in quo *Sororem consecravit sumus, prædestinavit secundum propositum ejus, qui universa operatur*: ac per hoc, sicut operatur, ut accedamus, sic operatur, ne discedamus. Propter quod ei per Prophetam dictum est: *Fiat manus tua super virum dexterae tue, & super Filium hominis, quem confirmasti tibi; & non discedemus a te.* *De dono persever. cap. 7.*

Cum ergo sit super eum manus Dei, ut non discedamus a Deo, ad nos utique provenit opus Dei, (hoc est enim manus Dei) quo opere Deus fit, ut simus in Christo permanentes cum Deo, non sicut in Adam discedentes a Deo. *Ibid.*

Prorsus in hac re non operosus disputationes expectet Ecclesia, sed attendat quotidianas operationes suas. Orat, ut increduli credant; Deus ergo convertit eos ad fidem. Orat, ut credentes perseverent; Deus ergo donat perseverantiæ usque in finem. *Ibid.*

Ex duobus autem piis cur huic donetur perseverantiæ usque in finem, illi autem non donetur, inferutabilia sunt iudicia Dei. Illud tamen Fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Nam *si fuissent ex nobis*, ait unus prædestinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc secretum, *mansissent utique nobiscum.* *De dono persever. cap. 8.*

Ut enim non dicam, quam sit possibile Deo, averfas, & diversas, in fidem suam convertere voluntates, & in eorum cordibus operari, ut nullis adversitatibus cedant, nec ab ipso, aliqua superari tentatione, discedant. *Ibidem, & cap. 11.*

An quisquam dicere audebit, Deum non præfuisse, quibus esset daturus, ut crederent, aut quos daturus esset Filio suo, ut ex eis non per-

G g 2

deret

deret quemquam? Quæ utique si præcivit, profecto beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præcivit. Hæc prædestinationis Sanctorum nihil aliud est, quam præsentia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Ceteri autem ubi, nisi in massa perditionis, iusto Divino iudicio, relinquuntur, ubi Tyrri relictii sunt, & Sidonii, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent? Sed quoniam, ut crederent, non erat eis datum, etiam, unde crederent, est negatum. Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio Divinum naturaliter minus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant; & tamen, si Dei altiori iudicio a perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta Divina, vel facta, per quæ possunt credere, si audirent utique talia, vel viderent. In eadem perditionis massa relictii sunt etiam Judæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis, clarisque virtutibus &c. Sed nec illis profuit, quod poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & investigabiles viæ: nec istis obfuisse, quod non poterant credere, si ita prædestinati essent, ut eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre, &c. Audiunt enim hæc, & faciunt, quibus datum est; non autem faciunt, sive audiant, sive non audiant, quibus non datum est. *Lib. de dono persever. cap. 14.*

*A Domino gressus ejus diriguntur, & viam ejus vult. Non dixit: Et viam ejus discet, aut tenebit, aut ambulabit, aut aliquod hujusmodi, quod posset dicere, a Domino quidem dari, sed homini jam volenti, ut sit beneficium Dei, quo gressus hominis dirigit, ut viam ejus discat, teneat, gradiatur, sua homo voluntate præcedat, hoc Dei donum, præcedente sua voluntate, mereatur. Sed ideo dixit, A Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus vult, ut intelligeremus, ipsam voluntatem bonam, qua incipimus velle credere, (quoniam Dei via quid est, nisi fides recta?) illius esse donum, qui gressus nostros propterea dirigit primitus, ut velimus. Non enim ait Scriptura: a Domino gressus hominis diriguntur, quia viam ejus voluit: sed diriguntur, inquit, & vult. Hic tu rursus for-*

tasse dicturus es, hoc fieri a Domino, dum doctrina ejus legitur vel auditur, si homo veritati, quam legit, vel audit, sua consentiat voluntate, &c. Cui si consentit, inquis, quod in ejus libero arbitrio constitutum est, recte utique dicuntur dirigi gressus ejus, ut viam ejus velit, ejus doctrinam, suasionem præcedente, subsequente confessione, seclatur, quod libertate naturali, si vult, facit, pro eo, quod fecerit, præmium, vel supplicium recepturus. Hæc est illa Pelagianorum mala, male diffamata, meritoque reprobata, & ab ipso etiam Pelagio, timente damnari, in Orientalium Episcoporum iudicio damnata sententia, qua dicunt, gratiam Dei non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege, atque doctrina. *Epist. 107. nunc 217.*

Sed neque ab illo, quod originaliter contrahitur, neque ab his, quæ unusquisque in vita propria, vel intelligendo, vel nolendo intelligere, mala congregat, &c. quisquam liberatur, & justificatur, nisi gratia Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum, non solum remissione peccatorum, sed prius ipsius inspiratione fidei, & timoris Dei, impartito salubriter orationis affectu, & effectu, donec fanet omnes languores nostros, & redimat de corruptione vitam nostram, & coronet nos in misericordia, & misericordia. Verum ipsi, qui personarum acceptorem existimant Deum, si in una, eademque causa super alios veniat misericordia ejus, super alios vero maneat ira ejus, nempe rotas vires argumentationis humanæ in parvulis perdunt, &c. Quid hic dicturi sunt, qui, ut gratia dari possit, nonnulla præcedere humana merita, contendunt, ne sit personarum acceptor Deus? &c. Sinant, Filium hominis in qualibet ætate querere, & salvum facere, quod perierat, nec de inscrutabilibus iudiciis ejus audeant judicare, cur in una, eademque causa super alium veniat misericordia ejus, super alium maneat ira ejus. *Epist. 105. nunc 194.*

## SUBSCRIPTUM

*An ista sit doctrina Sancti Augustini in materia gratiæ.*

CLEMENS PAPA VIII.  
Pro proxima Congregat.

X I.

## EXCERPTUM

*Ex Actis Congregationum de Auxiliis. (1)*

DE hoc Scripto, quod publicatum fuerat a Clemente VIII. 9. Julii an. 1603, non nisi post ejus mortem, in prima Congregatione, sub Paulo V. habita 20. Septembris anno 1605, disputatum est inter Dominicanos, & Jesuitas.

Basilida, Jesuitarum causam agens, dixit, se prædictum Scriptum communicasse cum omnibus Patribus ex Societate, per diversas Provincias dispersis, cum Hispanis, Italis, Gallis, & ex eorum sententia hæc, quæ sequuntur, dicere, atque proponere: Se nimirum admittere omnia, quæ in prædicto Scripto continentur, esse de mente S. Augustini, id est, esse doctrinam, conformem doctrinæ S. Augustini, sive formalibus, si-

ve æquivalentibus verbis, excepto uno tantum capite quinto: *Hæc gratia habet suam efficaciam ab omnipotentia Dei, & a Domino, quod Summa Divina Majestas habet in voluntates hominum, sicut & in cætera omnia, quæ sub cælo sunt, secundum S. Augustinum; & exceptis, quæ in illo dicuntur.*

Ex adverso autem P. Thomas de Lemos ad propositum dubium ita direste, & stricte respondit: Respondeo dicendum: omnia, & singula, quæ in prædicto Scripto felicis recordationis Clementis VIII. continentur, tam in Capitulorum ritualis, quam in inductis ex S. Augustino testimoniis, sunt ipsissima S. Augustini doctrina in materia

(1) Ad caput 8. libri 3. Histor. de Auxiliis.

teria gratiæ. Veritatem hanc ad præsens probare, minus convenit, cum ipsa littera illam aperte demonstraret.

Sed veniam ad illud, quod principaliter Pater proposuit, negando, caput V. continere doctrinam S. Augustini, cum ait, *Gratiæ habere efficaciam ex omnipotentia Dei, & ex Domino, quod Omnipotens habet in voluntates hominum, sicut & in cætera, quæ sub cælo sunt.* Quod autem ista sit doctrina S. Augustini, constat ex formalibus verbis. Sic enim primum inductum testimonium habet: *Bonas hominum voluntates, &c. ita esse in Dei potestate, ut eas, quæ voluerit, faciat inclinari.* Ecce ad omnipotentiam Dei reducit in terminis efficaciam gratiæ, convertentis hominum voluntates. Et in secundo testimonio ita dicitur: *Deum occultissima, & potentissima medicine sue potestate, perducere hominis voluntatem, quæ vult.* Ergo apertis verbis dicit, ad omnipotentiam pertinere illam efficacem gratiam. Et in testimonio, tertio loco inducto, ita dicitur: *Sic enim velle, & velle in volentis, & volentis est potestate; ut Divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Igitur manifestum est, esse formalem, & expressam S. Augustini sententiam, quod gratia habet suam efficaciam, ad convertendum hominum corda, ex Dei omnipotentia, cum ad Dei omnipotentiam recurrat Augustinus, cum de efficaci Dei gratia loquitur.

Sed Patres Reverendi ideo negant, Deum sua omnipotentia efficaciter movere liberum arbitrium, & habere dominium super illud, quia constitunt liberum hominis arbitrium, exemptum a Dominio Dei, ita ut possit illud togare, &

suadere; non autem possit illud immutare, influere, & transferre, (istis enim terminis utitur S. Augustinus) *quocumque ipse voluerit.* Præterea dicit S. Augustinus de illa efficacissima gratia, de qua in præcedenti capite dictum fuerat, *Quod, ut Paulus tam efficacissima voluntate converteretur, gratia Dei erat sola.* Ecce efficaciam habet vocatio ex sola gratia, ex Deo ipso, & non illam emendicat a libero arbitrio, nec est efficacis dependenter ab illo, ut Patres volunt, Ideo enim negant, efficaciam sumere ex Dei omnipotentia, & eius dominio, quod habet super liberum hominis arbitrium. Non igitur potest negari, quod, secundum S. Augustinum, gratia habeat efficaciam ex Dei omnipotentia, & dominio, quod habet supra liberum hominis arbitrium.

Cum autem ista sit S. Augustini doctrina, & Summus Pontifex dicat, illam esse S. Augustini, mirandum est valde, quod audeat Pater illam damnare. Certe, quomodo ista ab illo dicantur, plane non video.

Quod autem affirmat, doctrinam hujus capitis esse contra Concilium Tridentinum, Sess. 6. cap. 4. & quod constituit, hominum voluntates moveri, ut inanime quoddam, gravius est multo: absit enim, ut ex doctrina, non dico S. Augustini, sed ex doctrina Pontificis Summi, tradita in isto capite, & ordinata, & contradicatur Concilio Tridentino.

His utrinque disputatis, in Congregatione sequenti conclusum est a Consultoribus, eam esse Augustini mentem, quam Clemens VIII. ex multis hujus S. Doctoris locis propofuerat.

X I I.

SCRIPTUM  
ILLUSTRIS SIMI  
D. PETRI LOMBARDI,

Doctoris Theologi in Academia Lovaniensi, Archiepiscopi  
Armachani, Primi in Congregationibus  
Auxiliorum Consultoris,

D A T U M

SANCTISSIMO PATRI, AC DOMINO

PAULO PAPÆ V.

INITIO PONTIFICATUS.

*De Erroribus contra Gratiæ, & finiende Controversiæ necessitate. (1)*

INTER curas omnes, Romano Pontifici pro Apostolici muneris Principatu incumbentes, cum prima, & maxima sit, qua debet invigilare, ut doctrina fidei Christianæ per universam Christi Ecclesiam in ea conservetur integritate, quam Timotheo suo pro parte sollicitudinis ejus commen-

dat D. Paulus, ita illum admonens: *O Timothee, depositum custodi, devotans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ: Id tui Prædecessores, Beatissime Pater, tum contra errores alios, circa hanc doctrinam temporibus suis emergentes, tum præcipua quadam sedulitate, co-*

(1) Ad Caput 6. libri 4. Histor. auxil.